

ad tollendum abufum Distributiones concedendi abfentibus.
De Lamet.

CASUS XIII. Lucrantur Distributiones ex Exequiis, aliisque foundationibus, ac ex Officio majori, qui non cantant in Choro cum aliis, quantum possunt, neque cum ea attentione ac reverentia, quam quælibet oratio exigit?

R. Sola præsentia corporalis non sufficit ad hoc, ut Canonicus satisfaciat obligationi suæ; oportet insuper in Choro recitare Officium, & quidem *reverenter, distincte ac devote. Fromageau.*

CASUS XIV. In quo consistit præsentia in Choro, ut quis possit percipere Distributiones?

R. Canonici Cathedralis cenferi non possunt præfentes Matutinis, aliisque divini Officii partibus, dum audiendæ aut celebrandæ Missæ gratia recedunt, nisi id requirat utilitas publica, aut ad celebrandum eo tempore a Capitulo designati sint. Neque lucrari possunt Distributiones ex Officiis fundatis, qui ab iis recedunt ad celebrandam eo tempore Missam. *Fromageau.*

NOTA. Ubi reperiuntur Vicarii veri Canonici, gradus licet inferioris, ea facultas legendi Sacrum sub divinis, aliis Canonicis ex causa rationabili concedi potest.

CASUS XV. Teneturne Decanus assistere toti Officio?

R. Tenetur in conscientia; & hinc sub Matutinis neque potest Missam celebrare, nec excipere confessiones, nisi gravis urgeat necessitas: neque lucratur Distributiones ex Matutinis, aliasque iisdem annexas, si iis non interfuit. *Fromageau.*

CASUS XVI. Debenturne Canonico cuidam Commensali fundatoris Ecclesiæ Distributiones manuales?

R. Privandus est his Distributionibus. Si autem difficulter possint discerni a fructibus grossis, consulendus est a Capitulo Episcopus, ut ea de re iudicet. *De Lamet.*

Vide *Canonicus. Capitulum. Deputatio. Officium Breviarii. Residentia. Scholasticus.*

DIVORTIUM.

1. Divortium est separatio mariti ab uxore, & vicissim. Non sumitur hic Divortium in eo sensu, in quo sumebatur in veteri lege, nimirum pro separatione absoluta & perpetua conjugatorum, quorum quisque aliud cum alio matrimonium contrahere poterat, id quod Moyfes Judæis solum propter duritiam cordis concesserat, ut Christus ipse in Evangelio

gelio declarat, dum ait: *Moyfes ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Hic Divortium nihil aliud est, quam separatio unius conjugum ab altero, quæ separatio non dirumpit vinculum matrimonii, utpote quod ab Ecclesia semel ratificatum & consummatum dissolvi non potest, nisi per mortem unius conjugum.

2. Et si Christus præter adulterium aliam causam non indicaverit, ex qua possit fieri Divortium, dantur tamen plures aliæ causæ legitimæ, ut v. g. si quis conjugatorum exponitur evidenti periculo amittendi vitam suam, salutem, aut Religionem.

3. In Gallia circa Divortium iudicare non est penes iudicem onem Iudicis Ecclesiastici; iudicium de separatione quo ad cohabitationem pertinet ad forum Iudicis Regii. Quando ex conjugatis persona innocens obtinuit sententiam separationis, non potest amplius compelli, ut redeat ad nocentem.

4. Datur duplex genus Divortii; unum quoad thorum, id est, quoad usum matrimonii; & alterum quoad thorum & habitationem simul.

CASUS I. Wunebaldus viginti annos natus duxit puellam ejusdem ætatis ac conditionis, & vixit cum ea per tres menses admodum concorditer; quibus elapsis illa peperit, factaque fuit, se prolem hanc suscepisse ab alio. Maritus, postquam infantem baptizari curaverat, ipso partus die ad instigationem patris sui uxorem domo eiecit; eamque una cum infante confugere coegit ad patrem prolis, qui unius leucæ itinere distabat. Frigus eo die erat tam atrox, ut tribus post diebus infans e vivis abscesserit, ipsaque mater ad extrema perducta fuerit. Quæritur

1. Num Wunebaldus teneatur in conscientia recipere conjugem suam, & habitare cum ea, non obstante, quod eam ducendo deceptus fuerit, putans esse virginem, quæ tamen non erat; & quod insuper per partum præmaturum publica ignominia notatus fuerit.

2. An, si insuperhabita submissione ac humiliatione uxoris suæ, nil ardentius quam denuo cum eo in gratiam redire cupientis, flecti nescius persistat in Divortio, Sacramenta ipsi ministrari possint?

3. Si quidem consentiat in receptionem uxoris, id tamen exequi prohibeatur a Patre, possuntne ipsi administrari Sacramenta ex eo, quod promittat, se victurum cum conjugate sua *sub eodem tecto*, quamprimum ab his sinylis patris sui liber fuerit?

4. Possuntne Wunebaldus & uxor ejus reciproce consentire in separationem tam corporis quam bonorum per actum publicum? forentne sic vivendo securi in conscientia? An non scandalum adscribi potest Wunebaldo, eoquod tam male tractaverit conjugem suam? an non ideo Parochus ipsi denegare debet Sacramenta, etiam in articulo mortis?

5. Num pater Wunebaldi securus est in conscientia talia consilia suggerens filio contra uxorem suam? an non Parochus jure ipsi absolutionem denegat, etiam in articulo mortis, si pergat sic concitare filium, ipsique saniora suadere recuset?

6. An in hoc casu Officialis validam potest pronunciare sententiam Divortii?

ꝛ. ad 1. Wunebaldus tenetur recipere conjugem suam, & conjugaliter cum ea vivere; rationes enim, quibus fuit permotus ad eam repellendam, non sunt sufficientes. Sic error circa qualitatem personæ matrimonium non reddit invalidum, nec impedit cohabitationem: *Propter violatam virginem adultam*, ait Lex, *qui postea maritus esse cepit, accusator justus non est; ideo jure mariti crimen exercere non potest, nisi puella violata sponsa ejus fuerat.* Multo minus valet altera ratio, nempe ignominia ac injuria illata ad instituendum publicum Divortium absque auctoritate Ecclesiæ.

Ad 2. Si Wunebaldus nolit uxorem recipere, a Parocho admittendus non est ad participationem Sacramentorum.

Ad 3. Pater Wunebaldi nullam habet rationem indignandi filio, si recipiat uxorem, hincque patri prohibenti non tenetur obedire; quia ejusmodi prohibitio adversatur præcepto divino: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret uxori suæ.* Si tamen spes esset, patrem a Wunebaldo intra moderatum temporis spatium posse pacari, ea dilatio, consentiente tamen uxore, ipsi indulgenda esse videtur, & interea Parochus posset ipsi ministrare Sacramenta: dummodo tamen exinde non oriatur scandalum.

Ad 4. Etsi maritus & uxor communi ac mutuo consensu possint se separare quoad thorum, quin ulla ad hoc Ecclesiæ auctoritas interveniat; separatio tamen & corporum & bonorum non potest fieri per actum publicum coram Notario; sed opus est autoritate Superioris legitimi. Et si Wunebaldus tali modo se separasset ab uxore sua, non foret securus in conscientia, nec posset admitti ad participationem Sacramentorum, etiam in articulo mortis.

Ad 5.

Ad 5. Hinc nec Pater securus in conscientia est ratione Consilii, quod suggestit filio; & si persistat impedire receptionem uxoris, indignus est absolutione, etiam in articulo mortis.

Ad 6. Officialis non potest pronunciare sententiam Divortii, nisi in casibus a Jure expressis; certum autem est, casum præsentem in jure non exprimi. Firmantur denique responsiones istæ regula communiter recepta tam in jure Canonico quam Civili, nimirum, ubi utriusque partis delicta sunt paria, locum esse compensationi. Jam evidens est, Wunebaldum, dum ejiciendo uxorem puerperam frigidissimo tempore infanti mortem accivit, matrem autem præsentissimo mortis periculo exposuit, longe gravius peccasse, quam uxorem fornicando ante contractum matrimonialem. Hinc absque dubio non obstante injuria sibi illata repudiatam tenetur recipere conjugem. *Pontas.*

CASUS II Sylvester certo sciens, a sua uxore commissum fuisse adulterium, tantum concepit odium adversus eam, ut absolute ab ea separari velit per sententiam Divortii, quam etiam obtinuit a Judice.

ꝛ. Motivum odii reddit Sylvestrum culpabilem, si ex eo tantum egit coram Judice. Si vero egit ad conservationem honoris proprii, immunis est a peccato. *Vir*, inquit S. Thomas, *dimittens uxorem fornicantem livore vindictæ, peccat; si autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandum prolis incertitudinem, non peccat.* *Pontas.*

CASUS III. Arcudius obtinuit sententiam Divortii contra uxorem suam de adulterio convictam, & separavit se ab ea. Post trimestre uxor detegit, etiam Arcudium tale crimen commisisse, & quidem ante latam Divortii sententiam, idque probare potest.

ꝛ. Non potuit Arcudius salva conscientia se separare ab uxore, cum ejusdem criminis reus sit; licet uxor efficere nequeat, ut sententia Divortii revocetur ob crimen mariti commissum eo ipso tempore, quo ipsa fuit accusata. Uxor non habet jus accusandi maritum de adulterio, ait Gratianus, idque probat per hanc legem Imperatorum Severi & Antonini: *Publico judicio non habere mulieres adulterii accusationem, quamvis de matrimonio suo violato queri velint, lex Julia declarat, quæ, cum masculis jure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem feminis privilegium detulit.* Verum id ipsum nullum profusus Arcudio tribuit jus petendi Divortium: *excipiuntur septem casus*, inquit S. Thomas, *in quibus non licet viro*

L 1 4

viro

viro uxorem dimittere fornicantem Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit. Pontas.

CASUS IV. Marcellinus accusavit uxorem suam de adulterio, & obtinuit sententiam Divortii perpetui; dein recepit ordines sacros. Post annum ejus uxor probavit judicialiter suam innocentiam, & obtenta revocatione prioris sententiae petit, ut maritus redeat.

R. Si uxor eo adduci non potest, ut vivat in continentia, Marcellinus tenetur redire ad eam; sed tunc tantum potest reddere debitum conjugale, nullatenus autem petere absque peccato. Si post Divortii sententiam, ait S. Antoninus, constiterit, Ecclesiam fuisse deceptam per falsos testes & luxuriosum, debet sic spoliatus restitui: taliter etiam si . . . cepisset Sacerdotium, si hoc petat, & tenetur restitutus reddere debitum, sed exigere non potest. Idem docent S. Bonaventura & S. Thomas. Pontas.

CASUS V. Carolomannus accusavit uxorem suam de adulterio, & obtinuit contra eam sententiam Divortii. Uxor dein edidit votum continentiae, & in quodam Monasterio emisit professionem. Aliquamdiu post patuit, sententiam fuisse injustam, & maritus repetit uxorem suam.

R. Et si vota solemniter emisit, tenetur tamen in conscientia redire ad maritum suum, ipsique reddere debitum; licet ipsa id exigere non possit. Potest continentiam votum invito marito, ait S. Thomas, nisi videatur Ecclesiam deceptam fuisse per falsos testes sententiando de Divortio; quia in tali casu, etiam si votum professionis emisisset, restitueretur viro, & teneretur debitum reddere, sed non liceret ei exigere. Si tamen constaret, falsos testes ab ipso marito fuisse subornatos, uxor non amplius teneretur cohabitare marito. Pontas.

CASUS VI. Adelmus cum exercitu perrexit ad bellum: uxor ipsius hausta a personis fide dignis, notitia, maritum in clade fuisse peremptum, nubuit Graciliano. Redit post sex menses Adelmus, &, cum uxorem suam alteri interea nuptam reperisset, recusat eam recipere, facitque Divortium cum ea, licet ipsa sese obtulerit ad redeundum relicto Graciliano.

R. Non potest Adelmus salva conscientia eam repellere, cum non sit rea adulterii. Et certe maritus non potest pravae voluntati imputare id, quod ex sola infirmitate sexus factum est. Imo uxor laude digna est, quod ad virum redire, eique omnia conjugalis amoris obsequia exhibere velit. S. Thomas inter septem casus, in quibus maritus non potest separari ab uxore, numerat etiam hunc: Si uxor virum suum

mortuum probabiliter credens propter longam ejus absentiam alteri nupsit. Pontas.

CASUS VII. Duo conjuges, cum viverent in continuis discordiis absque ullo reciproco amore ad invicem, mutuo consensu fecerunt Divortium tam quoad thorum, quam quoad cohabitationem ratione hujus averfionis reciprocae.

R. Peccarunt mortaliter: separatio enim privata auctoritate facta inprimis creat scandalum: secundo causa Divortii est injusta: tertio vix non est inevitabile, ne una aut altera pars incurrat periculum incontinentiae: quarto talis separatio semper post se trahit odia, maledicta, & lites: Opus denique est auctoritate Ecclesiastica, quando personae conjugatae separare se volunt quoad habitationem. In Gallia Judex Regius est in possessione juris hac super materia pronunciandi; sicque dicti conjuges, etiam si justam separationis causam haberent, indigent tamen sententia juridica. Parochorum ac Confessariorum est ejusmodi conjuges denovo reconciliare, ad mutuum amorem conjugalem adhortari, mediaeque efficacia suggerere, ne novis discordiis irriterentur. Pontas.

CASUS VIII. Fulco tantam frequenter exercet saevitiam erga uxorem, ut ea non credat se amplius fore securam, si diutius illi cohabitaret.

R. Absque peccato uxor se potest separare ab eo. Juri naturali nil magis conforme est quam suae prospicere securitati ac tranquillitati. Ad ejusmodi separationem privatam non videtur necessario requiri, ut uxor sit in evidenti vitae periculo, sed sufficere, si habeat rationabilem causam timendi, ne maritus id attentet. Ob iracundiam autem transeuntem, leve dissidium aut jurgium, ex quibus ordinarie grave malum haud sequi solet, nequaquam fieri potest privata separatio. Pontas.

CASUS IX. Flora habuit justam causam petendi Divortium cum suo marito, obtinuitque per sententiam separationem corporis & bonorum.

R. Tuta conscientia potest sententiam hanc exequi ab eo momento, quo fuit pronunciata per Judicem Regium. Pontas.

NOTA. Vi Decretalium Urbani III. & Clementis III. ad Judicem Ecclesiasticum pertineret, ut, dum cognoscit super separationem quoad thorum, accessorie etiam de bonis temporalibus conjugum, dotemque post Divortium restituenda sententiam ferat; sed constitutiones istae jam in Germania quoque vix non omni suo vigore desitunt incipiunt, dum plerumque non solum post dissolutionem sponsalium

de dote & quantitate dotis, verum etiam post Divortium de divisione bonorum inter conjuges pronunciat Judex sæcularis.

CASUS X. Balduinus certè scit, uxorem suam commisisse adulterium, eam tamen statim pœnituisse, ac sinceram egisse pœnitentiam. Nihilominus cogitat eam accusare Judici.

ꝛ. De jure id potest; & hinc, absolute loquendo, non potest per denegationem absolutionis impediri a prosecutione juris sui. Nihilominus ob oculos ipsi ponendum, ad quid hac occasione ipsum obliget charitas christiana. *Quis non videt, inquit S. Augustinus, ignoscere debere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum; nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum. Et quem non moveat exemplum ipsius Christi in Evangelio, dum veniam concessit mulieri adulteræ? Pontas.*

NOTA. Ex charitate pars innocens tenetur eam vere pœnitentem recipere, nisi ex receptione innocenti timenda sint gravia damna, incommoda, vel præjudicia.

CASUS XI. Flavius obtinuit sententiam juridicam Divortii contra suam uxorem adulteram. Hæc autem postea sincere pœnitens instanter petit a marito denuo recipi in gratiam.

ꝛ. Maritus in conscientia non tenetur eam recipere; sola charitas meliora ipsi suadere poterit. *Non erit turpis, neque difficilis etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves regni Cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum.* Inquit S. Augustinus: possuntne enim adhuc haberi pro adulteris, quos lavit unda Baptismatis, aut sanctificavit pœnitentia? *Pontas.*

NOTA. Hæc sumenda juxta dicta Caf. 10.

CASUS XII. Titia adultera per sententiam Judicis separata est a marito suo: hic tamen post aliquot menses eam revocat conjugaliter, ut antea, victurus cum ea.

ꝛ. Titia tenetur redire ad maritum, ipsique reddere debitum: pendet enim ex arbitrio mariti non uti jure in favorem suum introducto juxta regulam: *quilibet ad renunciandum juri suo liberam habet facultatem.* Multo magis Divortium in favorem partis innocentis concessum haud vergere debet in ejusdem præjudicium juxta aliam regulam juris: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Uxor autem sola est, quæ per adulterium amisit jus

jus, quod antea habuerat in virum suum, manetque eidem semper subjecta. *Pontas.*

CASUS XIII. Quid si Titia, antequam a marito repossederetur, solemnem interea professionem religiosam emisisset? an nihilominus teneretur redire ad maritum?

ꝛ. Teneretur redire, quamprimum maritus id petat, possetque a Judice compelli ad redeundum. Observandum tamen, quod pars innocens non imperpetuum, sed tantum intra certum temporis spatium impedire possit compartem eam a mutatione status. Plures insignes Authores censuerunt, si innocens alteri parti pœnitenti per biennium obstinate denegat libertatem mutandi statum, eamque nolit in gratiam recipere, eam posse suscipere statum religiosum, aut sacerdotalem, si maritus sit adulter, quin unquam amplius ad partem innocentem redire teneatur. *Pontas.*

NOTA. Tempus illud non a solo judice sine consensu innocentis determinandum est.

CASUS XIV. Alpinianus maritus Julitæ amplexus est hæresin, aut sectam Mahometicam.

ꝛ. Si uxor sibimet ipsi perversionis periculum imminere timeat a marito suo, absque peccato potest facere Divortium cum eo, interveniente tamen legitima auctoritate Superioris; neque, si maritus sincere sit conversus, tenetur redire ad ipsum; licet insuper ipsi statum religiosum amplecti, etsi non consentiat maritus. *Pontas.*

NOTA. Huic libertati, nisi Julitæ timenda sint valde gravia mala, obstat lex charitatis. Vide Caf. 10.

CASUS XV. Florus lapsus in hæresin vehementer sollicitavit conjugem suam, ut & ipsa renunciaret Religioni Catholicæ. Cum autem ea constanter id facere recuset, sublata est omnis concordia maritum inter & uxorem, ita, ut uxor metuat, se tandem succubituram tentationi.

ꝛ. Si metus iste est solide fundatus, uxor absque peccato potest discedere a marito, etiam non expectata sententia legitimi Superioris. Tale tamen Divortium eousque tantum durare debet, quousque durat periculum. *Pontas.*

CASUS XVI. Bassianus furtis & magiæ deditus ad eadem crimina etiam uxorem sollicitat, quæ sæpius partim spe luctri partim curiositate de lapsu periclitari se sensit.

ꝛ. Uxor justam habet causam faciendi Divortium cum marito suo. *Melius est, inquit S. Hieronymus, vitam solitariam ducere (relictis etiam personis arctissimo vinculo colligatis)*

tis) quam ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere. Idem sentiunt S. Thomas, S. Bonaventura, & S. Augustinus, *Pontas.*

CASUS XVII. Chunegundes agit in iudicio ad Divortium cum marito suo, qui infidelitatem aut hæresin incurrit. Hic timens sententiam contra se, declarat, se renunciare infidelitati aut hæresi.

ꝑ. Uxor tenetur desistere ab actione. Non compellitur pars separata catholica, ut habitet cum parte hæretica, donec hæc errori suo renunciaverit; quia illi ex tali cohabitatione periculum perversionis immineret. Verum si pars hæretica ad fidem redeat, pars catholica denuo tenetur eam recipere juxta declarationem Urbani III. *Pontas.*

CASUS XVIII. Adenulphus incidit in hæresin; & ejus uxor in adulterium. Marito apud Judicem petenti Divortium uxor opponit hæresin.

ꝑ. Locum non habet circa hæc crimina mutua compensatio. Hinc oppositio uxoris erga maritum idonea non est, ut admittatur: adulterium enim directe adversatur fidei conjugali, & hæresis proprie loquendo tantum fidei Deo promissæ, & non conjugii. *Pontas.*

CASUS XIX. Victorianus militiam amplexus vult absolute, ut uxor secum pergat ad bellum.

ꝑ. Non censetur uxor ad id teneri; injustamque videtur eam ad hoc cogere, si habeat notabilem rationem non sequendi. Periculum salutis, vitæ ac valetudinis, cui uxor se deberet exponere, est titulus legitimus excusans eam ab obligatione sequendi virum ad exercitum. *Pontas.*

CASUS XX. Agatha nupsit Germano, quem sciebat ex professione sua esse vagabundum, & rapto vivere assuetum.

ꝑ. Agatha non tenetur sequi maritum, et si hic absolute id velit. Vagabundus exponitur non solum periculo infamiae, sed etiam mortis, & iisdem periculis exponeret se uxor sequens eum; imo omnium mariti peccatorum particeps fieret. *Pontas.*

CASUS XXI. Susanna cum nullo erga maritum afficeretur amore, privata autoritate & sine ulla justa causa se separavit ab eo; cumque nullus consanguineorum eam recipere, aut quidquam subsidii ei præstare vellet, in magnam devenit pauperiem. Maritus ab ea in dotem accepit sex millia florenorum.

ꝑ. Maritus non tenetur uxori præstare alimenta, si non ad extremam necessitatem sit redacta, ex qua emergere non possit, nisi per subsidium mariti; cum ipsi soli imputandum sit Divortium. *Pontas.*

CASUS XXII. Mohamedes & Aboffa ejus uxor ambo sectæ Mahometicæ degunt in oppido Catholico. Uxor suscipit fidem catholicam; maritus autem persistens in infidelitate indefinenter invehitur in Christianos, & blasphematur nomen Jesu Christi, quin tamen uxori permittat, ut se separaret.

ꝑ. Uxor potest discedere a marito, quomocumque demum invito. Imo dantur Authores, qui putant, ipsum matrimonii vinculum in hoc casu dissolvi. *Pontas.*

NOTA. Contractus matrimonialis probabilius est jure naturali quoad vinculum indissolubile. Hinc etiam illi, qui polygamiam in infidelitate pro licita habent, tenentur illam retinere, quam sibi primitus in uxorem elegerunt, sufficienter tamen dotando concubinas anteriores uxore & posteriores.

CASUS XXIII. Saladinus infidelis recusat pacifice cohabitare cum uxore sua recentem ex infidelitate conversa, nisi Christum blasphemare sibi liceat. Uxor itaque discedit ab eo, & ad ingressum in Religionem se disponit. Paulo post & ipse Saladinus convertitur, & suam reposcit conjugem.

ꝑ. Si separatio non fuit facta autoritate Superioris legitimi, uxor non potest ingredi Religionem sine consensu conversi mariti, tenereturque redire ad ipsum: si autem separatio fuit facta autoritate legitima, uxor potest intrare Religionem, etiam invito marito. *Pontas.*

CASUS XXIV. Titius per sententiam Judicis fecit Divortium cum uxore sua adultera. Postquam autem & ipse in idem crimen, occultum tamen, prolapsus est, quaeritur, num in conscientia teneatur reconciliationem inire cum conjugem sua.

ꝑ. In foro interno obligandus est ad id; quia in casu, ubi crimen ex parte utriusque est æquale, plena datur compensatio. Nihilominus maritus ad id judicialiter compelli non potest; quia adulterium ipsius non est publicum. C. B.

DOCTRINARIUM.

In hac Congregatione fundata in Gallia per venerabilem *Cæsarem de Bus* non emittuntur vota solemnia.

CASUS. Poffetne Doctrinarius, fi Congregatio hæc effet regularis, absque dispensatione relinquere statum suum, & Parochiam recipere administrandam, quin incurrat suspensionem. Si absque ea Parochia subsistere nequeat, teneretur Romam recurrere pro dispensatione in irregularitate, quam incurrisset Ecclesiasticas functiones in suspensione obeundo?

R. Non poffet. Verum declaratum est, Congregationem Doctrinariam esse sæcularem; eamque relinqui posse habita sola licentia a Generali. *Fromageau.*

DOMESTICI.

Per *Domesticum* hic intelligitur, qui servitium aliquod, qualecumque demum, in domo quadam obit. Queritur autem, ad quid teneatur domesticus erga Herum suum; & hæc ad quinque puncta reduci possunt. 1. Tenetur omnia, quæcumque potest, ei servitia exhibere. 2. Debet esse contentus mercede, de qua conventum est, quin aliquid liceat surripere, aut occulte retinere. 3. Tenetur debitam Domino suo exhibere reverentiam, ac obedientiam, *tanquam Christo.* 4. Omnimodam quoque in omnibus fidelitatem. 5. Non licet Domesticum absque causa legitima subito servitiis se abdicare.

CASUS I. Francisca jam per integrum annum servit cuidam hæretico publico, qui tamen illi concedit omnem libertatem satisfaciendi obligationibus Religionis Catholicæ.

R. Si hoc servitium eam non impediatur ab obligationibus fidei Catholicæ, nec peccandi occasionem illi præbeat, non tenetur, absolute loquendo, illud dimittere. Eiusmodi occasiones peccandi forent 1. Si Herus non indulgeret ancillæ tantum spatii, ut diebus festis de præcepto possit assistere Sacro aut concionibus ac cathechesibus. 2. Si eam sollicitaret, ut Religioni Catholicæ renunciaret. 3. Si prohiberetur servare præceptas ab Ecclesia certis diebus abstinentias ac jejunia. 4. Si cogeretur Hero ac familiæ parare carnes diebus vetitis. 5. Si juberetur adire conciones hæreticorum &c. *Pontas.*

NOTA. Cum in eiusmodi servitiis sit periculum generale, licite non ineuntur sine permissione Ordinarii, qui examinabit & limitabit periculum in particulari.

CASUS II. Ladislaus Polonus Christianus Belogradum proficiscens, ibi se addixit servitiis Gubernatoris Turcici.

R. I.

R. Licite hoc Ladislaus facere potuit. Non solum licitum, sed quandoque etiam utile est, si Christianus serviat infideli, pro bono scilicet ac defensione aliorum fidelium, ut S. Thomas probat ab exemplo S. Sebastiani, qui sub Diocletiano Imperatore stipendia merebatur. *Pontas.*

NOTA. Idem observandum, quod Casu I.

CASUS III. Alipius Alphonfi famulus jam a longo tempore solet ad nobilem quamdam sceminam deferre literas Heri sui, quarum unam cum semel legeret, deprehendit esse amatorias.

R. Tuta conscientia non potest ulterius defungi hoc servitio; quia actio Alphonfi ex sua natura mala est, & hinc Alipius ad eam cooperari non potest sub quocumque demum prætextu. Ex hac ratione Innocentius XI. sequentem propositionem damnavit, eamque sub pœna excommunicationis, extra articulum mortis S. Sedi reservatæ doceri vetuit: *famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eadem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id factum metu notabilis damni, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Clerus Gallicanus eandem propositionem in solemnibus Conventu 1700. profligavit. *Pontas.*

CASUS IV. Quid agendum puellæ cuidam cubiculariæ Matronæ nobilis, quam scit in omnem vitæ licentiam effusam.

R. Tuta conscientia non potest ullum eidem exhibere servitium, quod ad turpe ejusdem commercium pertinet; sed tenetur Dominam istam dimittere. *De Lamet.*

Vide *Resolutio* Caf. 50. 75. 77. 89. 97. 115. & 117.

DOMICILIUM.

Domicilii nomine venit hic locus, in quo quis ordinarie commoratur: sic quis parochianus cujusdam Ecclesiæ efficitur per solam habitationem, dummodo non fiat animi relaxandi, aut liberioris aëris capiendi, aut negotii intra breve tempus pertractandi causa, ac animo statim iterum discedendi. Absolute necessarium est, ut ille, qui contrahit matrimonium, bona fide sit parochianus illius Parochi, coram quo contrahit; cum ex defectu præsentis proprii Parochi matrimonium possit fieri nullum. Tempus, quo acquiritur Domici-